

& Ecclesiæ providendum sit ad nominationem Imperatoris, Regis, aut Principis, id munus incumbit Cardinali, qui apud Sedem Apostolicam est Protector illius provincie, in qua sita est Ecclesia; cæteroquin proces-

sus conficitur per Cardinalem, à Papa deputandum. Quæ & alia in *cit.* Bulla Gregoriana, & apud Mattam de *Consistorial. caus. sect. 23. per tot.* uberius explicata reperiuntur.

## AD CAPUT VI.

## De Modis amittendi Prælaturas Ecclesiasticas.

## SUMMARI A.

1. Neque tacita renuntiatio; 2. & seq. Neque expressa certam formulam desiderat. 4. & seq. Explicatur Extravagans execrabilis. 6. Matrimonium, à beneficiato Clerico in minoribus contractum, est species tacite renuntiationis. 7. Contradicit Leurenus. 8. & seq. Resellitur. 10. & seqq. Stabilitur sententia, docens, beneficiatum, religionem ingressum, non posse re-

nuntiare beneficio ante Professionem. 15. Beneficiato resignanti, re adhuc integrâ, penitere licet. 16. & seqq. Exponitur, quandònam res desinat esse integra. 21. & seq. Si resignatio fiat in favorem sub conditione, eâ non purificatâ, non inducitur reservatio ob omissionem publicationem. 23. & seq. Satisfactio objectioni.

## QUÆSTIO I.

## Quâ verborum formulâ utendum sit in renuntiatione Dignitatum aut Beneficiorum Ecclesiasticorum?

1. Renuntiationem tacitam, de qua diximus in *hoc cap. num. 12.* non indigere certâ aliquâ verborum formulâ, patet ex eo, quod ipsò factò inducatur; potestque probari ex *cap. de multa 28. de Præbend.* ubi, qui secundum beneficium, incompatible cum primo, recepit, priori ipsò factò privatus declaratur, daturque illi, ad quem spectat collatio, facultas id liberè conferendi. Renuntiationem expressam quoque non habere opus certâ formulâ verborum, supponere videntur Pignatell. *tom. 10. consule. 17. num. 1.* Leuren. in *Foro Benefic. p. 3. quæst. 235. num. 1.* Neque enim à Jure quidpiam circa hoc præscriptum legitur; ideòque quævis verba, animum dimittendi beneficii significantia, sufficiunt. Concludit exinde *cit.* Pignatell. *d. num. 1. & 2.* in casu, quò Dignitas

electiva vacat per resignationem, posse ad Electionem procedi, etiamsi non constet judicialiter de vacatura, sed notitia aliunde quomodocumque habeatur, etiam per famam, prout Rota Romana judicavit apud Garziam de *Benefic. p. 10. cap. 2. num. 31. & 33.*

Equidem in *Extravag. execrabilis* Joannis XXII. de *Præbend.* requiritur, ut fiat dimissio beneficii sub testimonio publico verbaliter & realiter cum effectu. Sed, præterquam quòd illa dimissio non sit spontanea, ex quo, qui consequitur beneficium alterum, cum priori incompatible, hoc tenetur dimittere explicatò modò; insuper per *ly verbaliter* non denotatur certa verborum formula; & ideò quævis loquendi ratio, explicans mentem, feriam cedentis, sufficit.

## QUÆSTIO II.

## Utrum contractus matrimonii, à Clerico beneficiato, in minoribus constituto, initus habeat speciem tacite renuntiationis?

6. Pro specie & exemplo tacite renuntiationis in *hoc cap. num. 12.* cum Parisio statuiamus matrimonium, à Clerico beneficiato, qui in minoribus constitutus est, contractum. Cui quidem refragatur Leurenus in *Foro benefic. p. 3. q. 235.* quia abdicatio aut vacatio beneficii non potest adscribi voluntati resignantis, sed authoritati Legis Canonice, Clericos conjugatos ipsò factò beneficiò privantis. Quia verò ipsemet Leurenus *d. l.* resignationem tacitam describit,

quæ ex ipsius Juris interpretatione & ex actu directè contrario retentioni beneficii per consequentiam colligitur, dum quis facit, quò positò, ex ipsius Juris constitutione amittitur beneficium, seu retineri nequit: non video, cur matrimonialis contractus, tanquam actus, ex Juris constitutione directè contrarius beneficio juxta *cap. si qui 1. cap. quod à te 3. cap. diversis 5. de Cleric. conjugat.* nequeat pro tacite beneficii renuntiatione allegari.

QUÆ-

## QUÆSTIO III.

## Valeatne resignatio beneficii à Novitio ante duos menses proximos ante professionem?

10. Non valere, dictum est in *hoc cap. à n. 33.* quæ sententia, teste Eminentiss. Vincentio Petra ad *Consuet. Apostol. ro. 3. pag. 379. num. 20.* est communior, atque, ut perhibet in *num. 18.* jam pridem à S. Congregatione Concilii decisa. Et licet Pius V. Summus Pontifex, relatâ sibi S. Congregationis sententiâ dixisse feratur, se non credere, quòd renuntiatio beneficii sub dispositione Concilii Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 16.* comprehendatur; ideòque in casu eveniente Sanctissimum esse consulendum, suaserit Fagnanus in *cap. statutum de Regular. num. 19.* Attamen sententiam nostram non solum Rota Romana fuit amplexa in celebri causa *Ferrariensis. Canoniatùs* die 1. Aprilis 1697. & 10. Januarii 1698. & 5. Martii eòd. annò, & 3. Aprilis 1699. & 11. Decembr. hòc ipsò annò, de quibus decisionibus videndus Pitonius *ro. 1.*

*discept. 6.* sed etiam alterata S. Congregatio Concilii post Pium V. eandem opinionem semper tenuit, veluti testatur *cit.* Petra *pag. 380. num. 22.* & in *num. seq.* in doctrinæ consequentiam superaddit, quòd, si agatur de casu, quòd professus post plures annos nullitatem professionis canonizari obtinuerit, recuperet beneficia, etiam ab aliis possessa, prout est in bonis temporalibus; secus, si ex alia causa exierit, vel dispensativè habitu clericali se induerit, licet sit capax aliorum beneficiorum. Corrad. in *praxi benefic. lib. 5. cap. 1. num. 3. vers. & est hic notandum.* Paris. de *Resignat. lib. 3. quæst. 13. num. 15.* quia in primo casu reducitur professio ad non esse ex sui initio; non autem in secundo, ut etiam innuit *cit.* Corrad. in *praxi dispensat. lib. 6. cap. 3. numer. 20. f. casuum &c.*

## QUÆSTIO IV.

## An resignanti beneficium liceat penitere?

15. Re adhuc integrâ resignanti poenitentiam esse licitam, vix aliquis dubitat ob *Clem. un. de Renuntiat.* in qua, si quis mandatarium ad resignandum constituerit, supponitur, eidem competere facultatem, mandatum, re adhuc integrâ, revocandi. Card. de Luca de *Benefic. disc. 38. n. 2.* Quandònam verò res non amplius censetur esse integra? In resignationibus, factis in manus Ordinarii, facile est, judicare, quando scilicet ab Ordinario, in cujus manibus est facienda, fuit admissa per *cap. admonet 4. d. 1.* De resignationibus autem, factis in Curia Romana, præfatus Card. *num. 4. & 5.* insinuat, antiquitus occurrisse difficultatem; hodie verò ex moderniori stylo illam cessare, nec prius resignationem esse perfectam, quam si consensus fuerit præstitus in Cancellaria, vel per ipsum resignantem, vel per procuratorem, & in libris extensus; non attentò, an supplicatio prius signata, vel data esset; quod etiam dilucidè habetur in *Reg. Cancell. 40. sen 41.* quam materiam illustrat Paris. *lib. 9. q. 8.* Jamque in *hoc*

*cap. n. 122.* observatum legitur, non censere beneficium in curia resignatum prius vacare, quam resignans, post acceptatam renuntiationem de novo consensum præstiterit.

Major tamen est difficultas, quando resignans constituit mandatarium in Curia, & postea mandatum revocavit, mandatarium verò nihilominus consensum in Cancellaria formaliter præstitit. Sed & hanc difficultatem per Rotam decisum fuisse, meminit Card. de Luca *cit. disc. num. 7.* cum distinctione: aut enim agitur de certa & simplici resignatione, & tunc revocatio mandati notificanda est vel procuratori, vel Papæ, mediante ejus dimissione seu repositione in Dataria, ac apud Officiales, qui sunt illius organum; aut verò agitur de renuntiatione in favorem certæ personæ, & tunc sufficiens notificatio ipsi principali, cujus favore resignatio erat facienda; vel aliàs certa noticia de facta revocatione. Rota in *rec. p. 6. decis. 130. n. 24. & seqq.* & apud Dunozzet *decis. 881. n. 10.* Parisius de *Resignat. d. lib. 9. quæst. 27. per tot.* præsertim *num. 10.*

## QUÆSTIO V.

## An resignatio, in favorem personæ sub certis conditionibus facta, iis non purificatis, faciat vacare beneficium ob omissionem publicationem?

21. Discutit hanc quæstionem *cit.* Cardin. de Luca *disc. 39.* referendò casum Hlarendensem, resolvitque negativè. Rationem dat generalem: quia resignatio ad favorem

certæ personæ nullatenus aufert jus vel professionem à resignante, donec illa validè ac perfectè suum effectum sortiatur in persona resignantii: ubi autem non purificantur aut

K 2

adi m.